



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmæ Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...

Guilelmus <Peraldus>

Lvgdvni, 1585

De peccato indiscretæ promissionis. Cap. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

Vnde Prouer. 14. Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam.

De peccato indiscretae promissionis. CAP. XIX.

Indiscretae promissionis peccatū fugere debent homines, propter tria mala quæ inde sequuntur. ¶ Primum est, remorsio propriæ conscientiæ. Vnde Prou. 12. Est qui promittit, & quasi gladio pūgitur cōscientiæ. Hoc fit quando nō soluit, quod promittit. ¶ Secundū malum est, quod inimicitias eius incurrit cui promittit, & nō soluit. vnde Eccl. 20. Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicū gratis. ¶ Tertium malum est, quod tenetur soluere quod promittit. Vnde Ecc. 8. Ne respondeas supra virtutem tuam: q̄ si spononderis, quasi restituens cogita. Specialiter autē cauere debemus à voto indiscreto, ne scilicet voueamus, quod implere nolumus. In quo multum peccant aliqui claustrales, qui vouent ea quæ sciūt se non impleturos: in quo etiam aliqui multum peccant, qui suscipiendo sacros ordines continentiam promittunt, quam tamen non proponūt seruare, quod valde periculosum est. Vnde Prou. 20. Ruina est homini deuorare sanctos, id est, de voto suo honorare sanctos, & post votū retractare. & Ecc. 5. Melius est non vouere, quàm post votū promissa nō reddere. Item in eodem: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim infidelis, & stulta promissio.

De verbo otioso, & de his quæ deberent hominē ab his cohibere. C. A. P. XX.

Notandum, quod verbum otiosum secundum Hier. est quod sine vtilitate loquētis dicitur, aut audiētis. Verba vero scurrilia & turpia nō sunt cōputanda inter otiosa. Vnde Hiero. Qui scurrilitatē replicat, & cachinnis ora dissoluit, vel aliquid profert turpitudinis, nō otiosi sermonis, sed criminosi reus tenetur.

¶ Multa vero sunt quæ deberēt hominē cohibere à verbis otiosis. ¶ Primum est hoc, quod cum vir iustus cælum sit, os eius porta cæli est. Et ideo aperiendū nō est absque magna causa. Legimus enim cælum ad literam multoties apertū fuisse: sed nūquam legitur quin aliquod mirū subsecutū sit. legitur in Psal. Et ianuas cæli aperuit. & subditur: Et pluit illis manna ad manducandum. Legitur etiam Luc. 3. quod Iesu baptizato & orante, apertum est cælū. Et subditur, quod descendit spiritus sanctus. Vox etiam patris audita est. Itē cum beatus Stephanus lapidaretur, aperti sunt cæli, & vidit Iesum stantem à dextris Dei & gloriam ipsius. & sic quādo porta cæli spiritualis aperitur, scilicet os viri iusti, debet inde exire manna, vel verbum dulcis consolationis, vel verbum quo Spiritus sanctus datur, vel verbum quo Spiritus sanctus vel ipsius gratia hominibus ostenditur. Sed de quibusdam cū expe-